

P. IV, apud *Wagenfeil. in Telis igneis satan. p.m. 168*: In omni  
 et *pro mundi* debet esse aliquid, quod si minus absolutam simi-  
 litudinem --, saltem aliquam analogiam indicet, quæ intercedat  
 inter ea, quæ in homine revera sunt, & quæ in DEO perfigurantur  
 illam esse dicuntur. DEI sapientia oculus appellatur, quia quemad-  
 modum ille mente cognoscit, sic nos oculus cernimus. DEI virtus  
 atque efficientia, manus & dextra nuncupatur, quia que-  
 madmodum nos manu, sic ille virtute operatur. Solio insidere,  
 & pedes in terra tanquam in scabello reponere dicitur, quia  
 quemadmodum Regum majestas in throno sublimi con-  
 spicitur, & potestas eorum in eo manifesta est, quod in tribu-  
 nali sedentes, pedibus æquant subditorum capita, ac propemo-  
 dum ea calcare videntur; sic etiam tanta est in DEO gloria,  
 tantus potestatis splendor, ut non modo fulgeat in coelo sin-  
 gulari in modum, sed etiam in terris, ubi minus apparet,  
 omnem hominum magnitudinem; quanta quanta est, longè  
 supergrediatur. *Conf. Pfeiffer. Critic: S. p. m. 152.*

§. V. Quamvis autem famigeratissima regula herme-  
 neutica firmo consistat talo, sensum literæ, ( sive literalem  
 proprium ) non nisi durissimo necessitatis telo urgente,  
 deferendum esse; vid *Dispp. mearum de pleonasm. I. sect. I. §. 4. p.*  
*II. & ibi citatos Autores*; satis tamen causæ, quæ figuratum  
 loquendi modum nobis insinuat, subministratur ex ma-  
 nifesta contradictione, cui nulla nisi tropica expositio me-  
 deri poterat. *conf. Danhaw. Ideam Boni Interpretis §. 54. sqq.*  
*p. m. 91. sqq. Hermeneut. S. p. m. 259. Pfeiffer. Thesaur. Hermene-*  
*ut. Can. 3. p. 156.* Fidem dictis conciliabo immotam. Es-  
 sentia DEI hac exprimi solet definitione: *Est spiritus*  
*independens. Genus hujus definitionis est spiritus, in quo*  
*conceptu cum spiritibus creatis & anima humana convenit, Job*  
*IV. 24. Spiritus autem substantia est materiae omnis & formæ*  
*physicæ expers. Luc. XXIV. 39. Quicquid igitur DEO corporei*  
*in*